

Cicatricem inducentia non modo humorem exiccant, sed etiam humorem, qui in carne est, absumunt.

Sudores mouentia, vt & vrinas, menstrua cientia, lac & semen generantia, pulmones expurgantia, lapides frangentia. Eiusmodi medicamenta alii ad quartas referunt qualitates, eo quod vnum potius & peculiarem respiciant humorem, quibus proprietatem quandam occultam, seu qualitatem propriam inesse volunt.

Sudores mouentia, ὑδρωτικά, calida sunt & tenuium partium, quo humores extenuent, meatus rarefaciant, vt humor attenuatus per poros cutis erumpere possit. Quibus contraria sunt, sudores sistentia, quæ frigida sunt & crassarum partium.

Vrinas mouentia, διυρητικά, quæ copiose & præter consuetudinem vrinas educunt, caliditatem & siccitatem insignem sequuntur. Ratio à Galeno l adfertur talis: Cum ad vrinæ prouocationem l 5. simpl. 12. requiratur, vt serum à sanguine segregetur, necessum est, fieri aliquam colliquationem, quæ sine aliqua caliditate inigni fieri non potest. Quare talia calida & sicca, & quidem gradu tertio esse debent. Nam vt Auerroes m, caliditatem cum subtilitate requirit. m 5. coll. 20. Obiicitur: Semina frigida, dicta 12. maiora, scilicet citrullorum, cucumerum, cucurbitarum, & melonum, vrinam mouere: Non ergo diuretica omnia calida & sicca erunt. Respondetur, diuretica duplicia esse; Alia moderate vrinam prouocare: Alia vehementer. Moderate, quæ quasi temperata & extergendi facultate prædita sunt, cuiusmodi sunt, semina frigida, maiora dicta, quæ